



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

cxix [i.e. ix]. Accidens nequit esse adæquatum principium substantiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)



IX. Unde accidens esse non potest immediatum & adæquatum principium substantiæ; cum enim omnis perfectio effectui proveniat à causa, accidēs, quod neq; formaliter, neq; virtualiter, neq; eminenter continet perfectionē substantiæ, hanc non potest substantiæ comunicare. Cui non satisfacis dicendo: non requiri, ut causa instrumentalis agens in virtute alterius, in perfectione æquet effectum; nam accidens agere in virtute substantiæ; vel est, accidens cum substantia immediate operante operari, & sic accidens non est principium adæquatum; vel est, accidens agere solum secundum propriam virtutem, & tantum nomine substantiæ: ex eo autem, quod quis agat nomine & loco nobilioris, non agit perfectius, si ab eo virtutem nullam accipiat, quam si accidens à substantia accipit, jam substantia est immediate operativa, utpote hujus virtutis productiva; dein hæc virtus vel est accidens, & relinquit accidens æquè ad producendam substantiam improprietatum; vel est substantia, & jam solum accidens non est adæquatum principium substantiæ; ad hæc cum causa instrumentalis nequeat agere, nisi simul secum



cùm influente causa principali, adeoque sit essentialiter principium inadæquatum, tale erit accidens, si sit instrumentum substantiæ, ut volunt Adversarii. Cui iterum non satisfacis dicendo: instrumenta imperfecta quæquæ ex se activa non sunt (qualia sunt instrumenta artificialia) non posse se ex se movere, sive non posse agere, nisi actu moveantur à causa principali unà cum illis influente in effectum, posse tamen id instrumenta perfecta ex se activa, sic virtutem seminalem seminis producere effectum juxta naturam viventium, quorum est semen; absq; eo, quòd talia viventia actu concurrant (utpote quæ frequenter tum perierunt) cum hac virtute seminali ad producendum sibi simile. Nam propter hanc ipsam rationem negamus, femina esse verè instrumenta istorum viventium, dicimusquæ illa, si mortua sunt, improporcionata esse ad producendam animam viventis; similiter dum insecta nascuntur ex putrida materia, ova calore furni excluduntur, metalla in imis terræ visceribus gignuntur, has animas aut substantias non produci à solis accidentibus agentibus in virtute substantiarum absentium; in cujus enim



quælo, substantiæ virtute illa accidentium collectio in putri generat vermes? Dices in virtute vermis in comuni; sed hæc accidentia à tali verme nunquam fuere producta, quomodò igitur agunt in virtute illius? insuper talis vermis in communi non datur à parte rei, sed tantùm per intellectum, dicitq; promateriali omnes vermes, etiam hos natos ex putri. Meliùs igitur facimus, non ex mera ignorantia (quod indecorum est Philosopho) sed nixi ratione philosophica recurrendo ad Deum (cujus tanquã generalis naturæ Provisoris est, in defectu causæ secũdæ proportionatæ ad educendam formam ex materia jam plenè disposita, vices illius subire, formamq; illam se solo educere) quàm tribuendo agentibus naturalibus vires, quas non habent. Quamvis etiam dici possit cum Galeno, in generatione animalium ex semine, matrem non tantùm producere actiones formativas & dispositivas materiæ antecedentes generationem (quæ frequentissimè apud Arist. nomine generationis veniunt) sed & activè concurrere ad unionem & animam (si ea est bruti) producendam; Patrem ex eo tamen adhuc dici causam



causam proles, quia materiam suppeditavit formandam ulterius. Item formas metallorum gigni à sole virtutem suam ad imam terræ diffundente, vel ab ipsa terra & petris. Neque Aristot. inquit: *nihil aptum est agere, nisi quod habet contrarium*: (qualis contrarietas tantum est inter accidentia) negat substantiis activitatem; hæ enim sunt sibi adhuc contrariæ radicaliter, quatenus sunt principia accidentium formaliter sibi contrariorum; contrariantur item sibi mediata, mediis nimirum accidentibus; vel loquitur Arist. de actionibus præviis dispositivis ad generationem; hæ enim, saltem inadæquatè, procedunt ab accidentibus.

X. Imò ne quidem accidens per modum principii inadæquati instrumentalis effectivè concurret ad productionem substantiæ. Quotiescunq; enim adsunt duæ causæ creatæ, quarum una sufficiens est se solâ producere effectum, (qualis est substantia respectu substantiæ) altera de se improportionata ad talem effectum (quale est accidens respectu substantiæ) hæc illi frustraneè adjungitur in ordine ad talem effectum, & quia non eget, hanc quoq; nō est in potestate talis causæ, ad

g s effectum